

642-6148

8.



DE THOMAS

OPERA

Cathena

. 8 .

BX1749

T6

1765-66

V.8

C.1

D. T H O M Æ
A Q U I N A T I S,
D O C T O R I S A N G E L I C I,
O R D I N I S P R Æ D I C A T O R U M,
O P E R A,

JUXTA EDITIONEM VENETAM MDCCLV.
AD PLURIMA EXEMPLA COMPARATAM.

Editio prima Matritensis à quam pluribus mendis repurgata.

A C C E D U N T

F. JOANN. FRANC. BERNARD. MARIE DE RUBEIS
IN SINGULA OPERA ADMONITIONES PRÆVIÆ.

TOMUS OCTAVUS

complectens AUREAM CATENAM IN MATTHÆI, & MARCI EVANGELIA.



SUPERIORUM PERMISSU.

MATRITI: MDCCLXV.

Ex Typographia Viduæ ELISÆI SANCHEZ.

D. T H O M Æ
A Q U I N A T I S,
D O C T O R I S A N G E L I C I,
O P E R A,



BIBLIOTECA PÚBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEÓN

132667

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA GARIBAYU
ASOCIACIÓN DE BIBLIOTECAS AMIGAS ALIADAS
MICROFILMADO



1080045254

46200

BX1749
T2
1765-66
V. 8

D. THOMAE
AQUINATIS
DOCTORIS ANGELE
ORDINIS PRÆDICATORUM
OPERA.
JUXTA EDITIONEM VENETAM MDCCIV.
AD ILLUMINA EXEMPLA COMPARATAM.
Editio prima Mantuensis à quam pluribus mendis repleta.
ACCEDUNT
I. JOANN. FRANC. BERNARD. MARIE DE RUBEIS
IN SINGULA OPERA ADMONITIONES PRÆVIÆ.
TOMUS OCTAVUS
Complectens AGRAM CATINAM IN MATTHEO & MARCI EVANGELIA.



SUPERIORUM PERMISSU
MANTUÆ MDCCXXV.
Ex Typographia Viduæ ELISÆ SANCHEZ.

(IV)

FR. JOANN. FRANC. BERNARDI MARIE
DE RUBEIS,
ORDINIS PRÆDICATORUM,
ADMONITIO PRÆVIÆ.

in qua

- I. Veterum Scriptorum fide Divo Thomæ adseritur Opus, quod vulgo Catena in Quatuor Evangelistas inscribitur.
- II. Ipsius Thomæ amplissimum testimonium affertur: ratioque proponitur in eo contextendo Opere servata.
- III. Petrus de Alva refutatur, qui typis editum prædictum Opus, Pontio Carbonello Ordinis Minorum alumno primus adjudicare ausus est.
- IV. De primigenio titulo Operis agitur: deque adscitio Catene, ejusque antiquitate.
- V. Patres Scriptoresque Ecclesiastici numerantur, quos in eodem Opere concinando adhibuit Thomas. Joannis Nicolai labores & curæ laudantur.
- VI. Animadversiones criticae in loca sub Dionysii Areopagitæ ac Josephi nomine citata.
- VII. Item in Opus imperfectum in Mattheum, ac vetustam latinam Homiliarum Chrysostomi in eundem Mattheum versionem.
- VIII. Item in sententias nonnullas Hilario Picladivensi tributas, ac genuinam cujusdam loci lectionem.
- IX. In Euthymion Zigabenum denique, atque Glossas.
- X. De ratione in bujus Operis editione servanda disseritur.



Continua super quatuor Evangelistas expositio, latinorum graecorumque Patrum sententiis & glossis, quasi uno tenore contextuque concinnata, quam sub nomine Thomæ Aquinatis manuscripti codices præstabant, typis commissa in lucem prima vice prodiit Romæ in Domo Petri & Francisci de Maximis, anno 1470. duobus Voluminibus in fol. comprehensa, præsentibus Conrado Seussenheim & Arnaldo Pannartz, ac recognoscente Joanne Andrea Episcopo Aleriensis in Corsica qui apud Raphaelem Volaterranum Libro XXI. Antropologiae in librorum locis emendandis jure laudatur. Joannem Antonium perpetam vocat ipsum Ughellus in ejusdem Ecclesiae Tabulis. Hanc primam fere innumera secuta sunt alia editiones, multiplici typorum figura, ac Voluminum forma, ibidem Romæ, & Norimbergæ, Venetiis, Lugduni, Colonia, Parisiis, Rotomagi, Autverpiæ, alibi; eodem retento Thomæ Aquinatis nomine, ipsaque opere Doc-

simorum Virorum studio ac cura diligentius recuso, pargato-mendis si quæ irrepre-
rant, additisque locorum indicibus, ex quibus depromptæ Patrum Scriptorumque
sententiæ credebantur, locupletato.

Quod egregium Opus ab Angelico Doctore elucidatum fuisse, luculentissi-
mo produit testimonio Veteres Scriptores, qui disertam mentionem ejus ingerunt,
ejusdemque conferribendi occasionem, servatamque in eo texendo methodum,
aliaque loca ac temporis circumstantias diligentissime enarrant. Primus adeus Pro-
lomæus Lucensis in Historia Eccles. Libro XXII. capite xxiv. in Miratoriana
Scriptorum Italia Collectione: *Tunc* (post electionem Urbani IV. Pontificis Ma-
ximi anno Eræ vulgaris MCCLXI. die xxix. Augusti) *Frater Thomas rediit de Pa-*
risiis ex certis causis, & ad petitionem Urbani multa fecit & scripsit, sed præcipue
duo. Unum fuit, quod exposuit Evangelia sub initio textu (leg. subuncto textu, vel
sub miro contextu) diversorum Doctorem; ita ut unus Auctor videatur. Quod non
fuit sine magna tradentis subtilitate, & omnino Sancti Spiritus inspiratione, cujus
organum mirum fuit. Tunc florebat in Ordine Fratrum Minorum F. Bonaventura, pa-
trina Iustus, & Magister in Theologia, de quo infra dicitur. Huic Urbanus duo Evan-
gelia glossanda commiserat: sed excusans se propter officium quod habebat, quia Magis-
ter Generalis erat, idem Doctorem Sanctus Frater Thomas supplevit. Fato mortalitatis
Urbanus concessit anno MCCLXIV. die 11. Octobris: adeoque incepti Operis
tempus innotescit. Inceptum Opus ajo. Summo namque Pontifici Urbano una in
Mattheum expositio à Sancto Auctore inscripta fuit: quæ sequuntur, post ejusdem
Pontificis obitum perfecit ipse commentationes in Marcum, Lucam, & Joannem; nun-
cupavitque Fr. Hannibaldo S. R. E. Presb. Cardinali, ut infra dicendum. Pontifici
mentem fuisse, ut laborem inter se partirentur Aquinas, & Bonaventura Franciscani
Ordinis lumen, duoque Evangelia exponeret alter, ac alter duo reliqua, satis indi-
cat Prolomæus: simulque testatur, veniam impetrante Bonaventura, quominus
id ageret, supremæ Ordinis præfecturæ quam gerebat muneribus implicitus, in-
tegrum ab ipso Thoma compositum Opus, completumque.

Sequitur Guillelmus de Tocco. In Aquinatis Vita sic habet ille cap. iv. *Scrip-*
ta prædictus Doctorem Opus super quatuor Evangelia, Sanctorum, auctoritatibus miro
ordine contextum: ex quibus sic Evangeliorum continuavit Historiam, quasi unius Do-
ctoris videatur esse Possilla. In quo Opere mirandum Deus creditur ostendisse miracu-
lum; quia discurrens per varia Monasteria, & diversorum Sanctorum legens volumi-
na, pro majori parte ipsorum auctoritates mente retinuit, quas in exponendo notavit.
Quænam vero tanti momenti negotia fuerint, ut summota quiete ad elucidandos
libros aptissima per varia Monasteria Thomas discurreret, egregiumque ac labo-
riofum, de quo agimus, Opus discursando concinnaret? Summos nempe Pontifices,
Urbanum quartum, eique successum anni DCCLXV. initio Clementem
quartum, qui pro libito, proque temporum circumstantiis in diversis agebant
Civitatibus, Urbe-veteri, Anagninæ, Viterbii, Perusii, & ipse Thomas sequebatur,
scholam theologiam ubique regens in cœnobiiis apud Nostrates, ac ubique nova
in rem Ecclesiæ condens ac edens opera. Jacobum Echardum consulte in ejus-
dem Aquinatis Vita.

Succedunt Trivetius, Logotheta, Joannes de Columna, Bernardus Guido-
nis, Petrus Rogerius, postea Clemens sextus. Triveti verba sunt in Chronico apud
Dacherium ad annum MCCLXXIV. *Quatuor Evangelia continuata expositione de*
dictis Sanctorum glossavit. Logotheta in Fragmento, quod Baluzius luci publicæ
donavit, Glossas ait, super quatuor Evangelia Joannes de Columna in indice, quem
integrum nos primi edidimus, Super quatuor Evangelia, inquit, ad Urbanum Pa-
pam, Opus incomparabile. Bernardi Guidonis accipe verba apud Oudinum: Scripsit
etiam ad mandatum Domini Pape super 4. Evangelia opus insigni miro contextum or-
dine, dictis & auctoritatibus Sanctorum: ex quibus sic uniuscujusque Evangelistarum
quatuor continuavit historiam, quasi unius Doctores videatur lectura. Rogerii denique
in eo sermone, qui incipit Vir Dei es tu &c. habito coram Summo Pontifice. Joanne
XXII.

XXII. in Solemnis Canonizationis Beati Thomæ Mense Julio anni MCCCXXIII.
verba sunt apud Echardum & Oudinum: *Scripsit super 4. Evangelia ex puris Sanc-*
torum auctoritatibus mirabile Opus conexum, ac si per unum hominem omnia essent
dicta. Alius ab Echardo Sermo profertur, cujus initium Ecce plusquam Salomon hic
&c. ab eodem Rogerio habitus in Ecclesia Parisiensi S. Jacobi coram Doctorem
Universitate anno insequente MCCCXXIV. Feria 4. quatuor temporum Quadra-
gesime scilicet die 7. Martii, Littera Dominicali currente AG. in quo hæc habentur
Super quatuor Evangelia opus mirabilissimum ex dictis omnium Sanctorum recolle-
git: ubi eorum dicta sic contextuit, ac si per unum solum ordinatissime essent facta.

Novum accedit, illudque præclarum testimonium Fratris Conradæ de Sueffa,
Sacerdotis Ordinis Predicatorum antiqui. Perhibet ipse testis citatus & juratus in
Processu Canonizationis capite v. num. 47. apud continuatores Bollandi: *Quod*
cognovit, & vidit eum (Thomam,) & conversatus fuit cum eo pluribus annis Nea-
poli, Rome, & in Urbe-veteri tempore fel. rec. Domini Urbani Pape: ubi de manda-
to suo idem Frater Thomas fecit expositiones super quatuor Evangelia. Locum animad-
verte, scilicet Urbe-veterem, in quam, Viterbio relicto, secessera Urbanus anno
MCCLXII. ad finem vergente: Ubi Thomas jubente Pontifice, mentem operam-
que applicuit, ut quatuor Evangeliorum texeret expositionem. Urbe-veteri die 9.
Septembris anni MCCLXIV. discessit Urbanus, mortemque Tuderti die 2. Octo-
bris obiit: adeoque intra biennii spatium tum continuam expositionem in Mat-
theum complevit Aquinas, dicavitque Pontifici; tum alias paraverat expositiones
in Marcum, Lucam, & Joannem, quas post ejusdem Urbani obitum perfectas, com-
pletasque inscripsit Hannibaldo S. R. E. Presbytero Cardinali.

Hæc demum synchronis supparibusque testibus consentient sequioris ævi di-
ligentissimi Scriptores, Valleolanus, & Pignonus apud Echardum, & S. Anto-
ninus in chronico Parte III. Titulo XVIII. capite x. §. 11.

II. Omnium denique amplissimum de Opere suo fert ipse Thomas testimo-
nium. Ejus exstant in codicibus manuscriptis, editisque exemplis Nuncupatoriæ
Epistolæ duæ, quas hactenus criticorum nemo aut rejicere ausus est, aut in dubium
vocare, *Matthæi Evangelio altera, ac altera Marco & Lucæ ac Joanni præfixa: qui-*
bus impostum sibi ab Urbano quarto Pontifice Maximo munus, completamque
adhuc eo in vivis agente expositionem in Mattheum, mantum ultimam post ejus
obitum integro operi adnotam, susceptique demum laboris methodum ac ratio-
nem; luculentissime narrat ipse, ac declarat.

Nuncupatoria prior ad Urbanum Pontificem Epistola incipit: *Sanctissimo ac*
Reverendissimo Patri Domino Urbano divina providentia Papa quarto, Frater Thomas
de Aquino Ordinis Predicatorum, cum devota reverentia pedum oscula beatorum. Hanc
unam in Evangelium Matthæi perfectam à Thoma expositionem ante emortualem
Urbani diem 2. Octobris anni MCCLXIV. eidemque Pontifici nuncupatam, jam
adnotavimus. Quæ narrat vero ipse Thomas, quæve admonenda de opere elucu-
brato duxit, hæc sunt. 1. Sibi commissum à Summo Pontifice Urbano quarto, ut
Matthæi Evangelium commentationibus explanaret. 2. Consultis perlectisque diver-
sis Doctorem libris contextam prædicti Evangelii expositionem continuam. 3. Adhibita
quidem certorum Auctorem verba; at Glossas ut plurimum, quæ ferebantur, de-
cerptas, eisdemque sub Glosse titulo prænotatas. 4. Curam fuisse in Sanctorum dic-
tis, ut singulorum Auctorem nomina describerentur, necnon in quibus habeantur locis
assumpta testimonia, indicaretur. 5. Prætermissam, utpote supervacaneam, hanc
diligentiam, cum decernerentur libri & expositiones super loca quæ exponebantur: un-
de sibi nomen inveniat (exempli causa) Hieronymi, de libro mentione non facta,
intelligendum esse, quod hoc dicat super Mattheum: & in aliis rationem similem passim
& ubique servatam. 6. At sententias illas, quæ de Commentario Chryostomi super
Mattheum sumuntur, oportuisse inscribi in Titulo super Mattheum, ut per hoc ab aliis
que sumuntur de ejus Homiliario distinguerentur. 7. In ipsis autem Sanctorum testimo-
niis, quæ allegantur & afferuntur, plerumque de medio aliqua consulto reiecta ad
pro-

prolixitatem vitandam: ac etiam sententiarum verborumque ordinem commutatum, sive ad manifestiorem sensum assequendum, vel ut ipsi littere magis congrueret expolito. 8. Factum vero interdum, ut sensus exprimeretur verbis densis: idque precipue in *Homiliario Chrysostrami*, propter hoc quod est *translatio vitiosa*. 9. Neque solum litteralem denique sensum explanatum, verum etiam mysticam: itemque errores contra fidem interdum destructos, confirmatamque catholicam veritatem. Exploratissimam mentem habes Thomæ, operamque intelligis ab eo in hoc Opere super *Evangelium Matthæi* adhibitam, quam verissime, candido animo, sine fuce ipse patefacit.

Evangelio Marci altera præmittitur Epistola nuncupatoria, cujus initium est: *Reverendo in Christo Patri Domino Hannibaldo Basilicæ XII. Apostolorum Venerabilis Presbytero Cardinali, Frater Thomas de Aquino Ordinis Predicatorum, se totum. Mandatum memorat, pridem acceptum à Summo Pontifice Urbano quarto, Evangelicæ sapientia, inquit, à seculis in mysterio absconlita, quam in lucem produxit Dei Sapientia incarnata, ministerium expositionis adhibui, sacrorum Doctorum sententias compilando, ad quod me induxit primitus fel. rec. Urbani Papæ quarti mandatum. Expositionem in Matthæum, quam adhuc inter vivos agente Pontifice compleverat, ipsi nuncupavit. Unde subdit: Verum quia eo Summo Pontifice ex hac vita subtrahente, tria Evangelia, Marci, Lucæ, & Joannis, exponenda restabant; ne opus quod obedientia inceperat, negligentia imperfectum relinqueret, cum multo labore diligens adhibui studium: ut quatuor Evangeliorum expositionem complem. Constitutas vero in priore Epistola regulas in reliquo opere perficiendo tenuit: eadem, inquit, in omnibus firma servata in ponendis Sanctorum auctoritatibus, ac eorum nominibus præscribendis. Sed aliquid etiam diligentioris operæ contulit, quod his verbis patefacit: Et ut magis integra & continua prædicta Sanctorum expositio redderetur, quasdam expositiones Doctorum Græcorum in latinum seculi transferri, ex quibus plura expositionibus latinorum Doctorum inserui, Auctorum nominibus prænotati. Plurimæ sunt ipsi agendæ gratiæ, cujus labore ac studio commentationes & glossæ Scriptorum Ecclesiæ græcæ, quæ manuscriptis in codicibus delitescerant, innovauerunt Latio. Quod Expositionis Evangelicæ demum opus, sui laboris fructum, Apostolorum Presbytero, Fratri Hannibaldo de Hannibaldis, obtulit nuncupavitque.*

Hannibaldus, ex perillustri & antiqua Hannibaldensium gente Romæ nati, Ordinis Predicatorum ab adolescentia professoris in U. be apud S. Sabinam, clarissimi Viri litteris moribusque, elogium tenuit Jaobus Echardus in Bibliotheca Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyterum Cardinalem, Tit XII. Apostolorum ab Urbano quarto renunciatum, conjectat idem Echardus in prima Creatione Mense Decembris anni MCCLXI. facta, juxta Stephani Salanhaci Scriptoris operæ æqualis non spernendi fidem & auctoritatem: *Fratrem Hannibaldum Romanum Magistrum in Theologia, inquit, assumpsit in Presbyterum Cardinalem Basilicæ duodecim Apostolorum Dominus Urbanus Papa IV. anno Domini MCCLXI. Hanc illi conlatam dignitatem in secunda creatione, eodem Mense Decembris anni MCCLXII. putant Onuphrius, & Oldoinus: vel anno insequente MCCLXIII. Ciaconius & Frizonius. Quod atamen evenisse probat ac evincit Franciscus Pagius in Breviario Romanorum Pontificum, in secunda quidem creatione & anno rursum MCCLXII. sed Mense Maio, fide allegata Gregorii Decani Bajocensis qui vitam scripsit Urbani, & Theodorici Vallioloris tunc viventis, qui Antheri ejusdem Summi Pontificis nepotis iussu gesta Patru litteris consignavit. Præstantissimum Cardinalem nostrum Frater Thomas valde dilexit, teste Ptolomæo Lucensi in Historia Eccles. Libro XXII. capite XXI. I. etique majorem partem Expositionis Continue in Evangelia, quam post obitum Urbani Papæ complevit, dicatam voluit. Fato mortalitatis concessit Hannibaldus anno MCCLXXII. ut prodit Salanhacus: unde ante hunc annum, & post annum MCCLXIV. scriptum à Thoma completumque insigne opus.*

III. Quod sane Opus in editionibus proflare, quotquot ab anno MCCCCLXX. quam-

quampluribus in locis, operam suam Doctissimis Viris præstantibus curatæ sunt, tum seorsum, tum conjunctim cum reliquis Angelici Doctoris elucubrationibus, ambigebat nemo, neque ulla certe ambigendi ratio est; donec medio circiter Era nostræ christianæ sæculo decimo septimo, primus & solus Petrus de Alva & Altorga Ordinis Minorum & rem dubiam facere, & confiderent inficiari ausus est. Tentamina ejus primæ habentur in *Sole veritatis* &c., & in *Nodo indissolubili* &c. coram denique palamque pugna indicitur in duplici Libello Hispanice vulgato; quorum alteri titulus est, *Fuicio de Salomon* &c. sub nomine F. Martini Perez de Guevara Lovanii MDCLXIII. in 12. inscribiturque alter, *Respuista sin respuista* &c. Casaragustæ eodem anno MDCLXIII. in 12.

Epistolas, quas recensuimus, Urbano IV. Summo Pontifici & Hannibaldo S. R. E. Presbytero Cardinali inscriptas, veluti spurias confictaque non rejicit ille; immo pro genuino habet eas Thomæ Aquinatis foetu. Hinc earum auctoritate presus, fateri cogitur: continuam quamdam in Evangelia Expositionem ab eodem Doctore, mandante Pontifice, concinnatam esse; ab ea tamen longe diversam, quæ hædenus typis prodiit, quamve præstantiorem codices miss. in Bibliothecis adservati. Adferit porro, genuinam Thomæ expositionem à se visam, in Belgio fervari in Monasterio Canonicorum Regularium Conscendoncano ad Antverpiam, quæ prelum nondum passa est; illamque vero quæ typis edita legitur, falsò Thomæ veluti Auctoris nomine inscriptam, cum sit legitimum Pontii Carbonelli Ordinis Minorum opus: & huic demum, utpote accuratiori, præfixas Dominicanorum fodalium fraude Nuncupatorias Epistolas, quas pro alla sua continua expositione Thomas dederat. Pergit ille, ac ait: Carbonellum ab anno MCCXXIV. grande incessisse opus Catenæ Sanctorum Patrum in universa Biblia partem illam, quæ commentariis in quatuor Evangelia complectitur, anno MCCL. inchoatam, & anno MCCLII. completam, Joanni Patriarchæ Gradenfi (*Juan Patriarcha Gradenfi*) nuncupatam fuisse, antequam operi suo elucubrando manum Thomas admoveret: ac laboriosissimum denique opus, octo Voluminibus comprehensum, in Tolerao Fratrum Minorum canobio S. Joannis de los Reyes etiamnum fervari: atque septimo Volumine ipsissimam contineri Catenam in Quatuor Evangelia, sub nomine S. Thomæ typis editam.

Commentum hocce, quod omnium fabulosissimum sese prodit ipsum, egregie confutarunt nostræ gentis Scriptores, Vincentius Baronius, Franciscus Janfenius Elinga, Jacobus Echardus, itemque exteri duo, quos novi, Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispanica Veteri, & Casimirus Oudinus, qui Janium passim exscribit. Rem & ego pro vitili aggredior. Nova profero argumenta, quæ fabulam excogitam rejiciunt: veterumque (ut ita dicam) argumentorum vim aut luculentius expono, aut magis acuo. Age vero. Genuinas fatentur omnes, fatetur ipse Petrus de Alva epistolas illas, quæ Thomæ Aquinatis nomen præferunt, & continuam quamdam in quatuor Evangelia expositionem offerunt Urbano quarto Pontifici, & Hannibaldo Presbytero Cardinali. Atqui adamusissimæ præbita inveniuntur omnia in Opere, quod in editis exemplis & manuscriptis codicibus sub Thomæ nomine prostat, quæ in eisdem epistolis proposuit sibi servanda idem Thomas: unde non alterius, nisi Thomæ opus illud est. Ita namque, sententiis Patrum Scriptorumque Ecclesiasticorum simul contextis, continuam se adornasse expositionem narrat Aquinas, ut singulorum nomina expresserit; loca etiam indicaverit; ex quibus eruta sunt assumpta testimonia; & hanc diligentiam prætermiserit, cum ipsi deciperentur libri, aut expositiones adducerentur supra loca quæ exponerentur. At in Opere, quo de agimus, nomina legis Patrum Scriptorumque, sententiarum quoque promuntur loci, v. g. *Augustinus de Quest. novi & veteris testamenti, Abbas Isidorus ad Archiepiscopum, Cyrillus in Epistola ad Joannem Antiochenum, Leo ad Constantinopolitanos; sed Hieronymus demum, Rabbanus, Remigius.* alique frequentius indicato loco nullo allegantur, quorum nempe sententiæ ex ipsorum Commentario in eundem textum quem Thomas exponebat, de-

promptæ sunt. Ad Joannem Chrysoftomum quod attinet, peculiaris est Thomæ animadversio: ea scilicet testimonia, quæ de *Commentario ipsius super Mattheum sumuntur, oportuisse inscribi in titulo super Mattheum, ut per hoc ab aliis que sumuntur de ejus Homiliario distinguerentur.* Quæ sane distinctio, varietique locorum index passim in Opere occurrit, constantissimeque observatur hoc modo: *Chrysoftomus: v. l. Chrysoftomus in Homilia, ac deinde Chrysoftomus super Mattheum.* Thomas admonet, *plerumque aliquos de medio sententiarum rescissa, verborumque ordinem commutatam, ac interdum verbis dimissis redditum sensum: & hæc oppido omnia proprio experimento nosse cuique licet in Expositione typis edita, posuitque sub oculos Joannes Nicolajus, qui in editionibus abs se curatis integra testimonia improbo labore restituere nisus est. Verum denique mysticis interpretationibus, & errorum confutatione, (quæ duo se præstiturum pollicetur Aquinas) totum scateat typis excussum opus, quod veras: ac præter Latinos adhibentur etiam Græci Patres, quorum *expositiones* Latio se curante redditas, ipse Thomas testatur; latinæque translationes, Homiliarum maxime Chrysoftomi, minus accuratæ videntur, sed potius eodem admonente *vitiosa.* Tam bene perfectæque regulis omnibus, quas mente conceptas sibi propositas declarat Aquinas in Epistolis Nuncupatoriis, typis edita continua expositio super quatuor Evangelistas congruit, ut alterutrum eligi omnino debeat: aut eandem Expositionem genuinum esse Divi Thomæ scriptum, aut spurias confictasque prædictas epistolas. Partem alteram nec audet adferre Petrus de Alva, neque potest: priorem ergo partem amplectatur, adscriptumque Pontio Carbonello opus vero parenti restituit Thomæ Aquinati.*

Opus quidem in Evangelia quatuor, Sanctorum Patrum Scriptorumque Ecclesiasticorum sententiarum contextum, ab Aquinate mandatis Urbani IV. obsequente elucubratum fuisse, luculentissime testantur Veteres omnes, qui sæculo tertio-decimo, & quartodecimo accuratissimos indices Operum ipsius Thomæ texerunt. Atqui egregiam hanc lucubrationem intra hujusce temporis spatium, quod ad inventam typographiam usque excurrit, non perisse, immo frequentiores ejusdem codices Manuscriptos in Bibliothecis publicis privatique adservatos, ex eodem colligit Scriptorum testimonio, qui opus recensent, & pretium ejus celebrant, ac methodum patefaciunt in eo texendo servatam, nusquam jacturam indicantes, verum quod legebant oculis manibusque contestabant bona fide exponentes. Meminit quidem Ptolomæus Lucentis in Historia Eccl. Libro XXIII. capite xv. cujusdam *primi* libri, quem Thomas *Roma* anno circiter MCCLXI. scripsit super *Sententias*: simulque addit, *quem ego vidi Lucæ, sed inde subtraham nusquam ulterius vidi.* Commentarios in *Isaiam* recensent laudatus Ptolomæus, Bernardus Guidonis, & S. Antoninus; at eosdem *raro* inveniri in Bibliothecis, lectores admonent. Memorat Joannes de Columna *Postillas in Epistolam ad Romanos, & in Epistolam primam ad Corinthios*; & ad alias quod attinet, adnotare non prætermittit: & licet, inquit, *raro* reperiantur, tamen *à fide dignis audivi quod ipse scripsit super omnes Epistolas Pauli.* Nihil simile de Opere, quo de agimus, quodve prædicti diligentissimi Nomenclatores *mirandum* vocant, *incomparabile, miro artificio contextum*, ab eisdem animadversum, quod ejus dolendam jacturam indicet, aut codicum paucitatem. Collige vero jam duo: tum fabellam esse, quam profert Petrus de Alva, de uno Codice Corfendoncano genuinam Thomæ expositionem servante: tum plurimos hujusmodi Codices extitisse, ac etiamnum extare, ex quibus editiones Operis sub nomine Thomæ, tamquam veri Auctoris, prodierunt.

Codices manuscriptos, qui post apotheosim Sancti Doctoris exarati fuerint, veluti dubiæ aut nullius fidei, rejiciendos pronuntiat Censor. Verum enimvero tum isti, cum antiquiores, qui bonis avibus non pauci supersunt, absolutissime conveniunt omnes, eandemque sub nomine Thomæ præstant *continuum expositionem*, jam typis editam. Codices manuscriptos triginta numerat Doctissimus Echardus,

quo-

quorum alios ipse oculis lustravit, legit alios in indicibus Bibliothecarum Italiae, Galliarum, & Belgii: ac longe plures quidni fervent tot alia in Europa publicæ privatæque Bibliothecæ? Sunt aliqui vero ipsius Thomæ ætate, monente Echardo, exarati, pluresque sæculo tertio-decimo, ac sæculo tertio-decimo alii, aliique post annum MCCCC. Exempla duo, quæ ad ætatem Thomæ pertinent; in Bibliotheca Sorbonæ Parisiensis adservantur: testaturque laudatus Echardus, extare in primo imaginem tenuiore penicillo pictam, in qua figura Dominicanam vestem induta, idest Sanctus Doctor, suum opus offerre Summo Pontifici exhibetur. Codicem memorat Posselinus in Apparatu sacro Tomo II. *vetustissimam Bibliothecæ olim Marcelli Secundi Romani Pontificis, quem vestravit accuratissime Emmanuel Sa;* Theologus Societatis Jesu. Codices demum bene multos idem profert Echardus, tertio-decimo sæculo nondum elapso scriptos, qui obvii præstant Parisiis apud Sanjabobæos Fratres, & Canonicos Victorinos, & in Bibliotheca Colbertina, cum hoc titulo plerosque: *Incepit Expositio continua edita à Ven. Fratre Thoma ordinis Predicatorum super quatuor Evangelia.* Sed hæc vetustissimis, diligenti collatione facta à Doctissimis Viris, simillimi sunt, qui sæculo quartodecimo, ac deinceps ante inventam typographiam descripsi fuerunt codices; ac hæc demum omnibus consonant quotquot hætenus typis excusa prodierunt exempla; ut jam typis editam continuam expositionem Divi Thomæ Aquinati adiudicare necessum sit; aut Codices nedum recentiores: sed vetustos omnes, veluti falsatos rejicere; quod audacis summa, immo dementia fuerit.

Fidem supremam eisdem Codicibus, ac inde prodeuntibus editionibus, conciliant præfixæ nuncupatoriæ Epistolæ, quas Thomas dubio procul omni scripsit. Fingito opus fuerat, ut hanc argumenti vim elevaret Petrus de Alva Sodalitas nempe Dominicanos accuratiori Cærenæ, quam Pontius Carbonellus confecerat (si ulla tamen ab eo auctore prodit unquam) scriptas à Thomæ pro sua elucubratione nuncupatorias Epistolas præfixisse. Puerit ergo oportet Sodalibus Dominicanis libera ac integra facultas, Aquinatis nomini supplicandi Cærenam, quam alius confecerat. An igitur Codices Manuscriptos, qui Carbonelli nomen prænotatum habebant, comparaverint Nostrates ac possederint omnes, ut uno vel altero excepto, quibus nomen Thomæ inserberetur, reliquos absunderent igne, aut alio quocumque modo perderent, quin aliqui bonæ notæ in medium aliquando proferti possent, quæ enormis pareferet impostura? An potius, abrafo veri Auctoris nomine, omnes falsare codices potuerint, quotquot publicis in Bibliothecis, privatique in scriniis extabant, quin audacissimum facinus proferti in lucem impostum possent? Sed hæc concipere, infans capiti licet. Adeo ne linguam & calamum cohibuissent Fratres Minores, ut tam grave furtum, vel impudentem rapinam, silentio sibi imposito, æquo ferrent animo, sodalique suo egregium opus, quod falso Aquinati inscriptum nosse poterant, vendicare noluerint.

At Codicem *Corfendoncanum* opponis, quem longe diversum ab editis attestatis. Cur vero Codicem unum præferas tot aliis, quos memoravimus post Echardum? Animadverte, scriptum manu codicem illum dici anno MCCCCXXXI. per Fratrem *Valterrum Vande Vliet*, Regularem ejus loci Canonicum: cur ergo ceteris bene multis ejusdem avi exemplis ac avo superiore exaratis præfiterit idem Codex? Immo vero lis denique omnis fide prædicti Codicis dirimatur: siquidem in eo, Canonicis Corfendoncanis testimonium perhibentibus apud Echardum, ipsissima legitur Expositio in quatuor Evangelia, quæ abineunabulis Typographiæ sub nomine Thomæ Aquinatis prodit, quæve in aliis Codicibus, vetustis & recentibus, continetur. Abeat ergo Petri de Alva signenta.

Codicem profert in Toletano Monasterio servatum, in quo eadem continetur sub nomine Pontii Carbonelli Cærenæ, quæ typis edita est sub nomine Thomæ. Nempe Opus illud falso inscriptum Pontio Carbonello, probant, ac evincunt quotquot hætenus disseruimus. At Carbonellum suam complevisse expo-

sitio-

sitionem in Evangelia reponis, antequam Catenæ suæ contenda: operam daret Aquinas. Argumenta forent afferenda, quæ elucubratur à Carbonello simile opus vinceret. Confectum vero ab eo fuerit; at non illud, quod ais in Volumine Tolerano, proficere; cum illud & Veterum Scriptorum auctoritas; & Codicum qui Thomæ ætate ac deinceps exarati fuerunt fides, & ipsius Thomæ amplissimum testimonium, ac mira consonantia cum regulis ab eodem Thoma constitutis, genuinum solius Thomæ factum demonstrant.

Quid? quod si qua demum Carena in Evangelia à Carbonello contexta fuerit, non ipse (ut ais) Thomæ, sed iste Carbonello prævit. Quod ipse narras ad sumo, ac principii loco statuo; laudati Carbonelli opus Joanni Patriarchæ Gradenfensi (Joan. Patriarcha Gradenfense) nuncupatum fuisse. Atqui vero apud Ughellum in Serie; Patriarcharum Gradenfium, & apud Dandulum in Chronico, recensitum legitur Joannem Signale; vel Signolo Patriarcham Gradenfem ab anno MCLXXXII. aut verius MCLXXXVI. ad annum usque MCC. circiter: quem satis est memorasse, utpote longe dissitum tempore à re qua de agimus. Alter occurrit ejusdem Ecclesiæ Patriarcha Joannes Anconitanus ab anno MCCLXXII. ad annum MCCLXXXIX. itemque tertius, Joannes de Zambottis ab anno MCCCCVI. ad annum MCCCCVIII. neque alium; nomine Joannem, Dandulum & Ughellum numerant, qui intra sæculum tertiumdecimum & insequens Gradenfem Ecclesiam Patriarchalem rexerit. Fuerit ergo Joannes Anconitanus, cui Pontius Carbonellus, ut Petro de Alva indulgeamus, opus suum nuncupaverit. De anno MCCLXXII. quo ipsum Gradenfem Ecclesiæ præfectum narrat Ughellus, dabitur nullum: favent quippe & calculi Danduliani; diemque nonam Septembris addit ipse Ughellus ex Regesto Vaticano. Jam habeo, Catenam Carbonelli, si qua umquam exstitit, ante annum MCCLXXII. nuncupari Patriarchæ Gradenfensi, qui Joannes appellatus fuerit, non potuisse. Itaque toto oberrat ostio Petrus de Alva, qui refert, idem opus anno MCCLII. completum, eidemque Joanni nuncupatum; cum Gradenfem Ecclesiam nemo rexerit assignato anno Patriarchæ, nomine Joannes. Neque dixerit, anno MCCLII. completum quidem opus; at illud post annum MCCLXXII. nuncupatum Joanni: nec enim in hisce historia factis hariolari licet, quæve placent ac arident pro genio ingenioque proferre, teste nullo, fide nulla: neque rursus verisimile est, Carenam suam in Evangelia complevisse Carbonellum, eamque in scriptis repositam viginti servasse annos; ac tandem Gradenfem Patriarcham, qui Joannes vocaretur, veluti expectasse, cui opus longe antea elucubraturum perfectumque denique nuncuparet. At anno MCCLXXII. retento, perspicue jam patet, tum ante octo annos completam à Divo Thoma Expositionem in Matthæum, eandemque Urbano quarto inscriptam, qui anno MCCLXIV. die 2. Octobris vita migravit: tum etiam Commentationes in Marcum & Lucam & Joannem, ante annum MCCLXXII. elucubratæ; utpote quæ Hannibaldo Presbytero Cardinali nuncupata fuerint, quem fato mortalitatis concessisse eodem anno MCCLXXII. adnotavimus. Aut ergo nuncupatoriam Carbonelli Epistolam, Joanni Patriarchæ Gradenfensi inscriptam, rejiciat Petrus de Alva; aut Carbonello prævit. Thomam in Carena texenda fateatur.

De ipso Pontio Carbonello quærendum postremo loco est, quis ille fuerit, quoque sæculo vitam egerit ac flourerit; responsumque optanda forent: quæ synchronis supparibusque probata fidelè monumentis inniterentur. Duplicem memorat Echardus notitiam ejus ex Historiis Seraphicis. Tradit altera, datum ipsum morum Magistrum Sancto Ludovico nono Francorum Regi; altera, Sancto Ludovico confessori, Carolo II. utriusque Sicilia Regis filio primogenito. Qui primam sectantur notitiam ad illud munus Carbonellum anno MCCCXXXIX. adlectum narrat: id anno MCCLXXXVII. contigisse, qui alteri notitiæ adherent. Satis Petro de Alva aridet prima; hanc habet pro fabula Vvadiagus; alteramque amplectitur. Verum & hæc omnia per solam conjecturam dicta sunt; nullo vetusto fulta documento. Immo Carbonellum detrudat ad quartumdecimum sæculum Ni-

colaus Antonius in sua Bibliotheca Veteri Hispanica; allegatque Monumenta anni MCCCXXXVII. in quibus legitur F. Pontius Carbonellus Provincialis Aragonie. Sed hæc, quæ diligentius expendierint alii, missa facio.

IV. Præclaræ Expositioni, quam Thomæ nostro Aquinati certis & inconculsis argumentis hæcenus vendicavimus, primævum ab ipso Auctore impostum perquirere titulum. Joannes Albertus Fabricius in Bibliotheca Græca Libro V. capite XVII. num. 1. Vol. VII. ubi Catenas Græcorum in Sacra Scriptura libros recenset; sic habet, Catenæ autem vocabulo primus, ni fallor, hoc sensu usus est, Latinis Thomas Aquinas est: nam Græci quidem scripta hujusmodi vocant ἐπιτομή, ἢ περὶ ἐπιτομῆς ut apud Lambecium III. pag. 60. sive ἐπιτομῆς συνεπαναθητικῆς, sive ἐπιτομῆς συνολοκληρικῆς ἢ διὰ τὴν πατέρα, &c. Non absurde autem Catenæ vocabulum hisce scriptis applicatur, quoniam ut catena ex pluribus constat annulis inter se connexis; sic illæ expositionem Librorum Sacrorum ex plurimis Scripturam, cogitatis contextam, offerunt. “Aptissimam vocabuli Catenæ, hujusmodi scriptis applicati, interpretationem accipimus à Fabricio: at fallitur ille, Thomam Aquinatum profertens, qui primus hoc sensu usus eo vocabulo fuerit. Non alium ipse Operi suo titulum inscribendum cogitaverit, nisi quem in Epistolis nuncupatoriis discrete proponit, ac exprimit; in prioribus ad Urbanum IV. inquitens: *Solicite diversis Doctorum libris, prædicti Evangelii* (secundum Matthæum) *expositionem continuam compilavi*: & in altera ad Hannibaldum: *Ministerium expositionis adhibui... ut quatuor Evangeliorum expositionem compleverem... Et ut magis integra & Continua prædicta sanctorum expositione redderetur*. Cuique patet, operi suo inditum à Thoma titulum Expositionis continuæ.

Diligentiam Fabricii fugerunt hæc verba Sancti Doctoris; at sumo olfecit ipse tamen errorem capite citato num. XVII. ubi de Catenæ aurea ejusdem Aquinatis differens, hanc notam appingit: Ita (nempe Catenæ) inscribitur in recentioribus Editionibus; sed in antiquioribus video *Glossam continuam* vocari: ideo dubito jam, Thomam ipse Catenæ vocabulo usus fuerit, uti ab eo factum supra innui. Est mihi ad manus editio anni MCCCCLXXVI. fol. sine loci notatione, ne. Immo nullius dubitationis locum citata Aquinatis verba relinquunt; quæ diligentissimo Bibliographo legere licebat. Titulum *Glossæ continuæ* antiquioribus editionibus inditum, adnotat ille: allegatque editionem anni MCCCCLXXVI. f. sine loci notatione. At frequentius editiones antiquiores prodire sub hoc titulo: *Continuum Sancti Thomæ*. Ipsum offert apud Echardum exemplum typis editum Venetiis anno MCCCCLXXIV. in 4. itemque prima editio Romana anni MCCCCLXX. f. quam Fabricius ignorasse videtur, ut ex ejus verbis colligitur, quæ habentur num. XVII. citato: *Prodiit ab anno MCCCCLXXIV. sæpius separatim variis in locis*; ac si prima fuerit illius anni MCCCCLXXIV. editio.

Parissinam editionem anni MDXVII. profert Echardus, dignam animadversione. In calce hæc habentur: *B. Thomæ Aquinatis Continuum in quatuor Evangelistas multis mendis versum felici auspicio finem suscepit in Academia Parisiensis expensis Joannis Petit, anno MDXVII. 2. Kal. Septemb. Antiquum Operis titulum habes: at in Fronte inscribitur: Catenæ Aureæ, opus videlicet insignis Sanctissimi & Excellentissimi Doctoris Divo Thomæ Aquinatis in quatuor Evangelistas &c.* Novus adhiberi jam coeperat titulus *Catenæ* in editionibus, quæ curabantur. Lugdunensem editionem ad manus habeo anni MDXX. in 8. in qua singulis Commentariis in singulis Evangelistas hæc præfigitur inscriptio: *Divo Thomæ Aquinatis Continuum in librum Evangelii secundum Matthæum*: vel, *Super Evangelio Sancti Lucæ Continuum Sancti Thomæ &c.* At generalis in Fronte titulus his verbis effertur: *Catenæ Aureæ Angelici Thomæ Aquinatis in quatuor Evangelia ex receptissimis Ecclesiæ Doctoribus mira artificio continuata*. Hæc habet vero F. Lambertus Campester Theologus in nuncupatoria Epistola ad Rolinum de Sineuro, Archipræsulis Lugdunenfis Vicarium: *Inter reliqua Angelici ingenii sui monumenta, hos Commentarios fabre contextit, quos Glossulas Continuas, aut certe Catenam appellant Auream, utroque*